

67 68

aer. Tertia & quarta significatio ad Theologiam spectant.

§. 7. Notandum autem ex Dn. Zeisold. lib. 2. phys. instit. p. 28. cœlum in secundâ significatione acceptum, & quat. à physicis consideratur, item dupliciter sumi. 1. *Concretim & aggregatim pro expanso aethereo & stellis simul,* & dicitur cœlum stellatum seu sidereum i. e. cœlum cum sideribus sumptum. 2. *Abstractum & separatim pro solo expanso aethereo seorsim,* & quatenus absque stellis consideratur.

§. 8. Prior significatio, utut ipsius sit Aristotelis lib. 2. de cœl. c. 7. t. 14. stellas partes cœli appellantis lib. 3. de cœl. t. 1. & non minus recentioribus Physicis & Astronomis nonnullis, quam vetustioribus fere omnibus arrideat: nos tamen ei subscribere nec volumus, nec possumus. Constituimus enim unitis saltim corporis naturam considerare & explicare. *Quis vero dicat cœlum stellatum, seu, quod eodem recidit, cœlum & stellas esse unum corpus?* Plura sanè & diversissima corpora sunt, adeò ut unâ definitione eorum naturam & essentiam exprimere frustra quis allaboret, cum plures & diversæ essentiæ plures & diversas postulent definitiones.

§. 9. Posteriorem proinde cœli acceptionem,

K 3

qua-